DISPUTATIO SOLENNIS MEDICA,

Continens

HARMONICAM CONCORDANTIAM ET ANATOMIAM MAJORIS ET MINORIS MUNDI BREVISSIME TRADITAM, A GRATIÆ ET NATURÆ LUMINE HAUSTAM,

Quam

DECRETO ET AUTHORITATE

MAGNIFICI, PRÆNOBILISSIMI,

EXPERIENTISSIMIQ́; ORDINIS MEDICI,

IN FLORENTISSIMA MARPURGENSI ACADEMIA,

PRO LICENTIA,

Supremos in S. Medicina honores, insignia ac privilegia Doctoralia legitimè impetrandi

Filiis artis examinandum exponit

PHILIPPUS CASPARUS CROLLIUS,

MARPURGO HASSUS.

In Augusto ICtorum ad Lanum Auditorio,

Die XIV. Maji.

(o)

MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno M.DC.LXXV.

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
atq; EXPERIENTISSIMO
VIRO
DN. JOH. JACOBO Waldschmied/
Med. D. ejusdemq; PROFESSORE Ordinario,
Facultatis suæ p.t. DECANO, Cognato & Magno
suo Fautori plurimùm venerando.

***

PRUDENTISSIMO, SPECTATISSIMO
VIRO,
DN. JOH. PHILIPPO CROLLIO, Authoritate Cæs. NOTARIO gravissimo,
Inclytæ Reipublicæ Gelnhusanæ SYNDICO,
Parenti suo dilectissimo.

***

PRUDENTISSIMO ET SPECTABILI
VIRO,
DN. JOH. HENRICO FABRICIO, Illustrissimi Comitatus Isenburgici
QUÆSTORI integerrimo, Amico & Fautori
suo ritè suspiciundo.

Mæcenatibus & Patronis debita observantia colendis,
Hancce
Inauguralem suam
In
Sui, studiorumq; suorum commendationem
ea, qua par est, submissione
offert
PHILIPPUS CASPARUS CROLLIUS.



THES. I.



Maginatio, voluntas & fides creaturis implantata per naturam mirabilia producere poteſt, hic conſiſtit fundamentum magiæ. vid. Croll. Baſil. chym.

TH. II.

Quæ ſupra ſunt etiam infra ſunt & econtra, omnia in mundo cohærent ut catenis vincta, ſic ait triplici Diademate inſignitus Rex Hermes Philoſophus antiquiſſimus.

TH. III.

Omnia conſtant ex ſale, ſulphure, terra & aquoſa humiditate.

TH. IV.

Sal duplex eſt, item ſulphur, & cuivis natura peculiaris.

TH. V.

Major mundus eſt ſpeculum in quo vide-

tur minor mundus, hujus enim arcana constitutio ex magno mundo discenda est, quæ enim Microcosmus contractius, ea Macrocosmus latiùs possidet, ita

In majore mundo tegumentum omnia cingens,	*In minore mundo cutis.*
Oriens,	Caput & collum.
Occidens,	anus & pedes.
Meridies,	latus dextrum.
Septentrio,	latus sinistrum.
Montes,	eminentiæ in homine extrinsecus.

Macrocosmi regio alia est superior alia inferior.

Stellæ fixæ, terra,	Musculi & quædam aliæ partes.
Lapides,	Ossa.
Sol, aurum,	Cor.
Motus solis,	Motus sanguinis circularis.
Jupiter, stannum,	Pulmones.
Mars, ferrum,	Epar.
Saturnus, plumbum,	Splen.
Venus, Mercurius, cuprum,	Renes.
Luna, argentum,	Cerebrum.
Motus lunæ,	Distributio succi albi & oleaginosi per nervos ejusque reditus per vasa lymphatica.
Motus reliquorum planetarum,	Coctio sanguinis in visceribus, cocti regressus per venas.

Aër

Aër,	Sanguis.
Terra & omnia quæ in ea continentur,	fætus Microcosmi.
Aqua,	Sperma Microcosmi.
Argentum vivum,	purior spermatis pars.
Mors Macrocosmi,	Mors microcosmi.

Macrocosmus moritur die Iudicii, cujus ingentes mutationes tum temporis conspicuæ respondent symptomatibus microcosmi lethalibus.

Morituro macrocosmo Sol & cæteræ stellæ suum splendorem amittunt,	Morituro microcosmo cor debile fit, & syncope tentatur crebra, cætera etiã viscera non ampliùs officio suo sanguificationis funguntur.
Hinc aër erit frigidus & humidus, obortis inde pluviis & tenebris horribilibus,	Hinc sanguis generatur vitiosus, obortis inde diarrhæis, lienteriis catharris, oculi etiam evadunt tenebrosi.
Murmurant etiam ineffabiles venti ob frigiditatem & flatulentiam aëris,	Sanguis iste vitiosus ubique in corpore hæret & facit dolores tensivos, aures flatibus replet.
Flatus etiam copiosi ex terra erumpunt, & faciunt terræ motum,	Sanguis iste crudus propter ineptitudinem circulari non potest, sed in partibus cumulatus hæret, & ut exitum inveniat, sæpe vasa rumpit.

Tonitru & fulgura frequentia apparebunt,

Rigores & calores febriles in corpore Microcosmi sentiuntur propter excrementa sulphurea in visceribus accensa.

Aër propter nativi fermenti defectum putrescit, hinc immanes sparguntur fætores,

Sanguis putrescit propter extinctionem spirituum, hinc fætet homo.

Terra ob continuas pluvias exundabit,

Pedes tument & universum corpus propter sanguinis aquosam ineptitudinem.

Th. VI.

Animantia bruta sunt fontes, ex quibus cognitio spiritus Microcosmici hauritur, omnes enim brutales spiritus in homine collecti sunt, licet unus præ altero in uno homine sæpe emineat sic.

Animosi homines naturam suam vident in leonibus.
Amici fidi in Delphinis.
Fraudulenti in Crocodilis.
Amici corticarii in avibus æstivalibus.
Adulatores in canibus.
Adulteri in sargo pisce.
Avari in Corvis.
Casti in Monocerote.

Crudeles in leæna.
Devoti in alauda.
Desperati in Elephante.
Indociles in asino.
Feroces in Tigridibus.
Fæcundi in leporibus.
Fures in corvis.
Gementes in palumbis.
Horridi in struthio Camelo.

Spur-

Spurci in porcis.
Impudentes in muſcis.
Maledicentes in canibus.
Inobedientes in regulo.
Ingrati in cuculo.
Faſtuoſi in Tauro.
Inimici in angue.
Iracundi in gallis Indicis.
Latrones in urſis.
Libidinoſi in paſſeribus.
Liberales in gallis gallinaceis.
Loquaces in pſittacis.
Luxurioſi in cuniculis.
Lucifugi in noctuis.
Matrimonii amantes in palumbis.
Manſueti in agnis.
Timidi in leporibus.
Melancholici in aſino.
Mundi in catis.
Taciturni in piſcibus.
Muſici in carduele.
Loquaces in anſeribus.
Otioſi in cicadis.
Laſcivi in vitulo.
Scurræ in ſimiis.
Petulantes & ſalaces in Hircis.
Pii erga parentes in ciconia.
Prudentes in ſerpentibus.
Prædones in accipitre.
Ridentes in Mæo ave.
Sapientes in formicis.
Simplices in columbis.
Somnolenti in ærinaceo.
Stolidi in aſino.
Supplicabundi in canibus.
Superbi in equis.
Triſtes in noctuis.
Triumphantes de hoſtibus in gallis gallinaceis.
Verſuti in chamæleonte.
Doloſi in vulpibus.
Veloces in capreolo.
Voraces in lupis.
Vindictam de ſe ipſo ob perpetrata ſcelera ſumentes in camelo.
Uxorii in gallis gallinaceis.

Th. VII.

Macrocoſmus filium ſuum Microcoſmum docet varias artes in vita neceſſarias, Ita

Homines didicerunt ædificare ædes à cochleis.

Artem pictoriam à variis coloribus pratorum viridantium.

Excu-

Excubiarum modum didicerunt homines à Damis & gruibus.
Fabricandorum armorum ſcientiam à cancris.
Glomerandi artem à ſcarabæis.
Luſum pilæ palmariæ à catis.
Monomachiam à gallis gallinaceis.
Natandi artem ab anſeribus.
Nauticam à ſciuris.
Artem Nendi à vermibus ſerivomis.
Plauſtrorum ſtructuram à murmentis.
Textoriam & venatoriam ab araneis.
Ignes ſtruere didicerunt à montibus ardentibus.
Operarii & chirurgi inſtrumenta ſua formare didicerunt ab animantibus brutis, & quorum morborum bruta exhibent remedia, eorum etiam chirurgica inſtrumenta propria membris ſuis exprimunt plerumq́;.
Chymici multos labores didicere à meteoris.
Milites igniaria ſua & tormenta à tonitru & fulgure.
Jurisperiti Judiciorum conſeſſum viderunt in ciconiis.
Medici dignotionem pulſus in ſimiis.

Th. VIII.

In Macrocoſmo videntur omnes ferè Microcoſmi morbi, ſicut patet ex ſequentibus

Aër nubiloſus & pluvioſus,	Sanguis repletus cruditatibus multis, & morbi inde orti.
Murmura ventorum	Morbi flatuoſi, colica præprimis.

Toni-

Tonitru, Coruſcatio,	Rigores & calores febriles, inflammationes.
Caliditas aëris,	Incendia ſanguinis Microcoſmici.
Tabes inferiorum,	Aridura Microcoſmi.
Inundatio,	Hydrops.

Reliqui morbi repræſentantur in animantibus brutis.

Th. IX.

Accuratior cauſarum morbificarum in Microcoſmo cognitio ex Macrocoſmo petenda, ita.

Aër pluvioſus dependet ab aſtris frigidis & humidis, ſive etiam à vaporibus in aquam condenſatis,	Cruditates ſanguinis ortum trahunt ab intemperie viſcerum frigida & humida præprimis.
Venti procedunt à contrariis aſtris, vel etiam flatibus variis inter ſe pugnantibus,	Colica oritur vitio ventriculi & inteſtinorum, unde flatus generantur.
Tonitru & coruſcatio à ſulphure in aëre accenſo,	Febres oriuntur à ſulphure excrementoſo in ſanguine & viſceribus accenſo, inflammationes à ſanguine ſulphureo ardente.
Caliditas aëris eſt ab aſtrorum fervore,	Incendia ſanguinis Microcoſmici ſunt à fervore viſcerum.

Tabes inferiorum à defectu pluviarum & nimio fervore aëris,	Aridura Microcosmi à defectu nutrimenti item fervore sanguinis & viscerum nimio.
Inundatio à copiosa pluvia in terram missa,	Hydrops à copioso sero in cavitatem abdominis delapso.

TH. X.

Medicina est arcana quædam virtus, quæ sanat morbos, & hæc vi verbi omnipotentis fiat creata est.

TH. XI.

Remedium interdum morbo simile est non contrarium.

T. XII.

In multis morbis opus est, magica magnetica & characteristica arte.

TH. XIII.

Remedium manifestat se nobis per signaturas suas, signatura autem nihil aliud est, quam magica remedii cum Microcosmo locutio, qua manifestat ei virtutes & vim.

TH. XIV.

Macrocosmus suo Microcosmo curationes morborum ob oculos ponit, ita

Aër

Aër â nebulis & pluviis depuratur quando astra cœli pluviosam materiam dissipant, aut ad inferiora præcipitant,

Sanguis depuratur, aut quãdo impuritates ejus sensim in visceribus consumuntur, aut quando purgantibus aliove modo educuntur.

Ita astra habent purgandi & dissipandi vim, quæ eadem virtus in metallis latet, modo debitè præparata fuerint, & cognitâ stellarum in magno cœlo naturâ, metallorum virtutes non possunt esse incognitæ.

Venti aut ab astris aut à contrariis ventis dissipantur,

Colica dissipatur per specifica sua, adjuvante intestinorum archæo.

Tonitru & coruscationes desinunt, quando sulphurea materia in aëre partim consumpta, partim dissipata est, partim etiam ad inferiora præcipitata,

Febres curantur per sua specifica dissipantia, item per purgantia.

Nimia aëris caliditas corrigitur per interventum stellarum frigidarum & humidarum,

Incendia sanguinis Microcosmici temperãtur temperatis visceribus per refrigerãtia medicamenta.

Tabes inferiorum evanescit intervenientibus pluviis & cessante aëris fervore,

Augescunt partes Microcosmicæ quando vitale nutrimentum ad eas distribuitur, cessante sanguinis & viscerum æstu.

Undis suis liberatur terra remota aqua & solis fervore siccante,

Hydrops curatur per specifica quæ aquas ex corpore exturbant, item siccantia medicamenta.

Sic

Sic & multos morbos per venæsectionem curare norunt Medici, venæsectionis autem usum monstravit homini Equus Hungaricus qui propriis dentibus sibi venas incidit & sanguinem gravantem emittit.

Vomicæ curationem monstravit Chirurgis Caprea Sylvestris, quæ sanguinem intra cutim & carnem putrescentem emittit, affricando sese saxis & cotibus.

Caprinum pecus caliginem oculorum ad rubi spinam admovet, ut secta pupilla pituita effluat.

Vomitivorum & purgantium usum habemus à canibus, qui esu graminis per superiora & inferiora purgantur.

Clysterum usum habemus ab ardea.

Origanum adversus venena valere viderunt à ciconia, quæ in serpentum pastu in hac herba salutem quærit.

Grues utuntur Junco.

Bufones quando morsu vulnerantur venenoso, solent adire vel rutam vel salviam vel plantaginem & locum vulneris affricare.

Columbæ utuntur verbena.
Hirundines Chelidonio.
Accipitres hieracio.
Serpens oculos suos affectos curat fœniculo.
Feles utuntur Valeriana.

His omnibus motus homo excogitandi
plurima remedia sumpsit ansam,

F I N I S.

A D D I T A M E N T A.

In morbis malignis non est venæsectio neq; etiam purgatio imperanda.

An amuleta habeant vim ex corpore attrahendi venenũ idq; dissipandi. (Aff.

An in deliriis febrium malignarum opiata locum habeant, Aff.

An in malignis morbis aurum debitè præparatum sit medicina necessaria, Aff.

An menstruum mundi pro solvendo auro & cæteris metallis ex aqua pluviali petendum sit. Aff.

Soli DEO gloria & gratiarum actio.